



**V**Ladislaus filius fuit Vratislai primi regis Bohemorum natus minimus. Cum itaque post patris obitum Conradus patruus & tres fratres ordine Bohemis praefuissent ipse tandem, fratribus sine haeredibus uita functis, legitime successit. Tradunt Bohemorum annales post Vratislai obitum aliquandiu interregnum secutum, atque principes Bohemiae non regum sed ducum tantum titulo contentos fuisse, tanquam regum decus homini Vratislao ob insignes uirtutes, & non prouinciae & Vratislai successoribus datum fuisset. Itaque Vladislaus Bohemorum dux factus cum Friderico Cesare Italiae intrauit, atque egregiam ei in bello Mediolanensi operam nauauit.

Cum etiam in expugnatione urbis Mediolani peritissimi ducis & fortissimi militis officio functus esset, Imperator Vladislao & eius posteris regiam dignitatem confirmauit, atque in uirtutis indicium Leonem rubeum bifurcatae caudae, in albo clypeo regni insigne obtulit. Hoc modo regio honore ornatus Vladislaus domum rediit, ac candelabrum Salomonis ex Mediolano asportatum in ecclesia S. Viti Pragensis recondidit. Postea Bohemiam aedificijs excoluit, & pontem super Multauiam, qua uetus Praga minori iungitur, magni operis aedificauit, in quatuor & uiginti arcus protensum, ita ut ponti Ratisbonensi praeferi possit. Deinde etiam Vladislaum ex fratre Bisetislao nepotem cum trecentis grauis armaturae equitibus auxilio Heinrico sexto Imperatori Romam misit, qui re bene gesta plurimas inde sanctorum reliquias ad patrum retulit. Tandem Vladislaus summo senio grauatus moritur, & a filio Primislao honorifice sepelitur.